



CONGREGATIO GENERALIS CXV

5 novembris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Congregationem generalem 115 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

Venerabiles Patres, heri, die quarta novembris, pie defunctus est exc.mus D. Ioseph Gagnor, ep. Alexandrinus Statiellorum in Italia. Oremus pro anima ipsius.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: *De profundis ...*

Secretarius generalis: Exequiae exc.mi viri defuncti habebuntur crastina in Ecclesia S. Sabinae in Aventino, hora 17.

In hac congregatione, Patres amplissimi, distribuetur vobis aliqua relatio, confecta a clarissimo viro Iacobo Norris, auditore huius Concilii, circa thema « De paupertate mundiali », relate scil. ad n. 24 huius capituli schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis*.

Antequam incipiat disceptatio circa hunc numerum egregius vir suam relationem nobis dabit. Est typis impressa et distribuetur vobis ita ut omnes possint sequi adamussim quae spectant hoc problema gravissimum nostri temporis. Deinde prosequetur disceptatio circa hunc numerum.

In congregatione item nostra dabitur vobis, Patres, aliqua emendatio, sed pure typographica, quae inserenda est in libellum, qui continet schema decreti *de pastoralis episcoporum munere in Ecclesia*. Nam postquam hic libellus impressus est, qui correxerunt typos animadverterunt esse aliquos errores, aliquas translationes, in pagg. 81, 82, 83. Non sunt errores in textu, sed in notis. Ergo hoc folium, quod distribuetur, refert emendationem. Vos substituatis, Patres venerabiles.

Et ecce nomina eorum, qui verbo uti petierunt circa n. 23 cap. IV *de Ecclesia in mundo huius temporis*: exc.mi ac rev.mi DD. Franciscus Franić, ep. Spalaten. et Macarscensis in Jugoslavia; Vilelmus Wheeler, ep. coad. Medioburgensis in Anglia; Albertus De Vito, ep. Lucknovensis in India; Franciscus Tomášek, ep. tit. Butiensis in Cechoslovacia; Floyd L. Begin, ep. Quercopolitanus in Stat. Foed. Amer. Sept.; Clau-



dus Dupuy, arch. Albiensis in Gallia; Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis in Germania; Ioseph Höffner, ep. Monasteriensis in Germania.

Circa hunc eundem numerum loqui postulaverunt, nomine 70 Patrum, exc.mi DD. Ferdinandus Gomes, arch. Goianiensis in Brasilia; Philippus Benítez, ep. aux. Ss. Assumptionis in Paraguay; Iesus Alba, ep. Tehuantepecensis in Mexico; Paulus Zoungrana, arch. Uagaduguen-sis in Volta Superiore.

Deinde fit transitus ad n. 24. Sed Patrum nomina, si res feret, dabuntur tempore opportuno.

In hac congregatione, Patres, gravissimus labor nos manebit. Nam habebimus octo suffragationes faciendas. Speramus fore ut omnia bene procedant. Et nos iam nunc vobis gratias agimus pro sollicitudine qua nos adiuvabitis. Gratias.

Moderator: Velint, Patres venerabiles, audire. Cum de n. 23 cap. IV huius nostri schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* quatuor sint Patres, qui singuli nomine 70 aliorum Patrum locuturi sunt, moderatores a vobis quaerunt, an placeat ut ii tantum loquantur qui summatim ducentos et octoginta Patres repraesentant. Patres, quibus propositio haec moderatorum placet, velint surgere. [*Intervallum*].

Repeto propositionem moderatorum: ... [*Intervallum... Patres non surgunt*].

Nunc autem exc.mus D. Aloisius M. Carli, ep. Signinus, relator, velit legere relationem suam circa artt. I-II cap. II schematis decreti *de episcoporum munere in Ecclesia*.

EXC.MUS P. D. ALOISIUS CARLI
Episcopus Signinus

RELATIO

(*De pastoralis episcoporum munere in Ecclesia*, cap. II, artt. I-II)

[*Cf. pag. 156-162*].

Secretarius generalis: Audiatis, Patres venerabiles. Sanctissimus Dominus noster, antequam haec sessio finem habeat, maxime cupit episcopos coram se admittere. Erit colloquium paternum, licet brevissimum, cum omnibus et singulis episcopis, qui tamen recipientur a Sanctissimo Domino iuxta diversas nationes, vel linguas quas loquuntur. Dies et



hora harum audientiarum communicabitur singulis diebus quibus datur audientia, ex hoc ambone. Solum episcopi admittentur. Patres scil. conciliares. Solum Patres conciliares.

Crastina, nempe die 6 huius mensis, hora 19, Summus Pontifex coram se admittet episcopatus Africae, linguae gallicae, nempe ex Algeria, Alto Volta (lego italice, uti scriptum est in folio), Burundi, Camerun, Congo ex-Belga, Congo ex-Francese, Costa D'Avorio, Dahomey, Gabon, Libia, Madagascar, Mali, Marocco, Niger, RAU Egitto, Republica Centro-Africana, Ruanda, Senegal, Tchad, Tunisia. Episcopi qui hos episcopatus repraesentant rogantur velint crastina mane adire officium Praefecti Cubiculi Summi Pontificis (Maestro di Camera) ut dicant numerum praecisum episcoporum qui sunt in sua cuiusque ditone. Ergo rogantur adire officium *Maestro di Camera* crastina mane ita ut omnia bene parari possint pro hac audientia. Et dicant numerum praecisum; nos habemus numeros, sed sunt numeri veri quoad substantiam, quia episcopi sunt tales in illa natione. Sed non omnes illi episcopi sunt in Concilio. Quapropter bene est ut Magister Cubiculi sciat quinam revera episcopi sint ex Algeria, ex Alto Volta, ex Burundi, etc. Et hoc notificent qui sunt repraesentantes illorum episcopatum Magistro exc.mo ita ut audientia bene et rite parari possit. Ergo episcopatus ex Africa linguae gallicae coram Summo Pontifice admittentur crastina hora 19. Pro aliis episcopatibus, notitias dabo quando mihi communicatae fuerint. Gratias.

Moderator: Nunc autem velit exc.mus D. Narcissus Jubany, ep. Gerundensis dare alteram relationem, nempe de cap. II, ad art. III, schematis *de munere episcoporum*.

EXC.MUS P. D. NARCISSUS JUBANY ARNAU
Episcopus Gerundensis

RELATIO

(*De pastoralis episcoporum munere in Ecclesia, cap. II, art. III*)

[*Cf. pag. 172-179*].

Moderator: De auditis relationibus earumque laboriosa praeparatione toti commissioni competenti, et praesertim exc.mis relatoribus, gratias agimus plurimas etiam pro gratiosa breviatione quam sibi ipsi imposuerunt. Loquatur nunc exc.mus D. secretarius generalis.



Secretarius generalis: En igitur textus VII suffragationis. Videatis, Patres, pag. 29, cap. II: De Episcopis quoad Ecclesias particulares seu Dioeceses, nn. 11-18 [*cf. pag. 133-140*]. *Placetne an non placet*, Patres?

Moderator: Et nunc prosequitur disceptatio circa n. 23 cap. IV, schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis*, et cum absit exc.mus D. Fernandus Gomes, velit loqui exc.mus D. Philippus Benitez, ep. aux. Assumptionis in Paraguay.

1

Exc.MUS P. D. PHILIPPUS IACOBUS BENÍTEZ AVALOS
Episcopus tit. Chersonesitanus in Europa, aux. St. Assumptionis

Nomine 105 episcoporum Americae Latinae, *vobis loquor*¹ venerabiles Patres et dilectissimi fratres, vobis loquar, et vellem, summatim pandere problema oeconomico-sociale hucusque uncae et sine dubio maximae catholicae Continentis terrae. Perutilia nobis fuerunt studia et *solutiones*² Foederationis Internationalis Studiorum Socio-Religiosorum (FERES). Methodo proinde utar inductiva, uti oportet in his rebus; in nostro enim schemate, praevalet, proh dolor, stylus deductivus.

In America Latina una ex tribus partibus catholicorum totius orbis hodie degit; anno autem duo millia fere dimidia pars eorum constituent. Anno 1960 aderant ducentum millia millium incolarum; anno 1970 superabunt tercentum millia millium; anno 2.000 aestimantur fore plus quam sexcentum millia millium, quod sane significat augmentum in his proximis 40 annis, fore quatuorcentum millia millium. Ideo experti locuti sunt de « explosione demographica ».

Huius rei condicio apparet sat nova, immo inedita, non modo Ecclesiae verum etiam universo orbi. Etenim numquam usque adhuc tantae ac talis augmentationis relativae experientiam homines habuerunt; numquam hoc pacto ordinariae aestimationes superatae sunt.

Tamen sola quantitativa consideratio non sufficit. America Latina enim in his ultimis decenniis profundissimis et celerissimis mutationibus obnoxia est...³

Hodierna eius condicio socio-oeconomica his principalioribus characteribus insignitur:

1. *Aspectus oeconomicus:* redditus annuus per capita maioris partis incolarum ducentum dollariorum non excedit, i. e., penes aequat de-

cem per centum redditus incolarum nationum potentiorum. Causa huius facti in exigua productivitate activitatum reponenda est. Circa sexaginta (et in aliquibus nationibus, octoginta) per centum populationis activae in agricultura et in extractione primaria adlaborant. Haec difficillima condicio aggravatur ob extraordinarium augmentum populationis; ob absentiam vel evasionem capitalis; ob steriles versationes immobiliarias ubi facilius et citius magnum lucrum obtineri potest; ob defectuosam distributionem proprietatis agrariae; ob dependentiam a nationibus potentioribus, speciatim in pretiis stabiliendis, et alia huiusmodi.

2. *Aspectus socialis*: societates latino-americanae praecipue duobus stratis componi solent, nimirum, strato superiori, non amplo et gaudenti privilegiis oeconomicis, socialibus et culturalibus, atque ex innumera plebe (massa potius dicam) agricolarum, opificum et pauperum, sine actuosa participatione sociali. Passivitas huius massae hucusque permisit inoperantiam strati dirigentis societatis.

3. *Aspectus politicus*: ex hac situatione sociali profluunt condiciones politicae. Inspecto indice analphabetismi valde elevato, ut optime iam notavit exc.mus D. Leonidas Proaño, sequela eius est quod populus careat educatione politica et commode sustineat ab extrinseco duci. Ita facile intelligitur cur ...⁴ aliqua oligarchia possit omnia sola decidere. Ex alia parte, cum gubernia desiderant operam dare in effectivam evolutionem, sufficienti auctoritate carent.

Ex hac ergo quasi drammatica condicione totius regionis latino-americanae opus est initium sumere ad omnes *actiones reformatrices*. Causa solatii est quod iam multa sint conamina et incepta a guberniis, organizationibus internationalibus et privatis et quodammodo ab ipsa Ecclesia, promota, etsi nullo pacto adhuc pertingant rythmum mutationum socialium.

Agitur de regionibus christianis. Hoc factum pro ipsis latino-americanis secumfert gravem responsabilitatem: evangelizandi, scil., ingentem numerum hominum; religiosa servitia eis praestandi, necnon ecclesiasticas institutiones novis condicionibus adaptandi. Immo vero secumfert responsabilitatem erga alios non christianos, quia in America Latina praerberi potest testimonium populorum propriam evolutionem oeconomicam et socialem, iuxta principia christiana, perficientium. Hoc in sensu reapse asseri potest Americam Latinam esse campum experimentationis doctrinae socialis Ecclesiae.

Conclusiones. 1. *Necessarium est suscitare evolutionem organizatam et voluntariam* (développement intégral, desarrollo integral). Quod

munus adnumeratur (a Ioanne XXIII in *Mater et Magistra*) inter praecipuas obligationes christiani, potissimum in regionibus insufficienter *evolutionis*,⁵ et quidem se donandi totis viribus et competentia technica ad promovendam harmonicam evolutionem.

2. Ipsi ad quos spectat evolutio esse debent *primi et principales actores* propriae elevationis oeconomicae et socialis; adiutorium autem ab extra proveniens, sine dubio necessarium, alium scopum non intendere debet nisi roborare conamen ad intra iam inceptum vel incipiendum.

3. Ut iam pluries dictum est in ...⁶ aula, ex exigentiis muneris Ecclesiae oritur eius *sollicitudo erga integrum bonum hominum*. Conditio Americae Latinae, nuper descripta, profecto maiorem Ecclesiae imponit responsabilitatem reddendi scil. amorem effectivum hominibus ut verum testimonium evangelizationis. Quae responsabilitas manifestari debet:

a) *In formatione laicorum* christiano nomine dignorum ac humanae artis peritorum qui capaces inveniantur ad promovendam evolutionem et progressum suae communitatis per se ipsos et per alios.

b) *In orientatione* allata tam dirigentibus societatis ut bono communi inserviant, quam opinioni publicae ad gignendam conscientiam in omnibus civibus.

c) *In ostensione exempli*, opere et veritate, in ordine sociali promovendo...⁷

d) *In actione suppletoria* imposita ratione urgentiae et situationis particularis Ecclesiae multis in regionibus Continentis, saltem pro tempore. Etenim pluries Ecclesia est unica institutio capacitate praedita actuandi, et gaudens fiducia populi.

Propositiones. Quae cum ita sint, enixe desideramus: 1) ut hae conclusiones includantur in cap. IV, n. 23 schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis*; 2) ut descriptio Americae Latinae consideretur ut « signa temporum » in Adnexo ubi aliae quoque descriptiones distinctarum situationum terrarum includantur.

Venerabiles Patres, audiat verba, optimismo plena, Pii XII, felicitis recordationis, episcopis latino-americanis prolata: « Summo aeternoque Deo confisi ac suppliciter invocantes tutelam Deiparae Virginis, Americae Latinae Reginae, alienam a nobis censemus illam tristium eventuum praesentationem, quos futuros esse nonnulli ex his adiunctis rerum coniciendo suspiciunt. Immo hanc laetam in spem venimus fore, ut brevi America Latina alacri virium nisu illud officium et munus sustineat, quod providentissimus Deus commisisse videtur tantae Con-



tinenti terrae, catholicae religionis laude glorianti, ut ea ceteris gentibus quoque salutis et pacis optata dona in posterum dilargiatur »...⁸ Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² conclusiones investigationum sociologicarum. ³ Praenotandum est mutationem sociale esse transformationem societatis in qua structurae existenti alia substituit ita ut inducat novum regimen oeconomicum, sociale et culturale, penitus efficientem stratificationem socialem. ⁴ in aliquibus nationibus. ⁵ evolutis. ⁶ hac. ⁷ (v. g. in distributione terrenorum ecclesiasticorum etc.). ⁸ in praestantissimis rebus nobiles partes assecuta » (*Ad Ecclesiam Christi*, 29 iunii 1955 ad card. Adeodato I. Piazza).

Secretarius generalis: Ornatissimi Patres, crastina, intercepta parumper discussione super hoc schemate, incipiet disceptatio circa schema *de activitate missionali Ecclesiae*. Hanc disceptationem inaugurabit ipse Summus Pontifex [*plausus*], qui igitur aderit inter praesides nostrae congregationi generali [*plausus*]. Est honor maximus nobis datus, sed congregatio procedet ut omnibus diebus, ita etiam coram Summo Pontifice fient relationes, dicentur orationes, nempe habebitur disceptatio, et prosequetur etiam suffragatio. Ergo crastina.

Nunc lego textum VIII, ni fallor, suffragationis. Pag. 35, nn. 19-20 [*cf. pag. 140-141*]. *Placetne an non placet?*

2

EXC.MUS P. D. IOSEPH A IESU ALBA PALACIOS

Episcopus Tebuantepecensis

Venerabiles Patres aliique carissimi audientes,

In praesenti discussione ad n. 24¹ schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis*, in re gravissimi momenti a qua pendet honestas coniugii lege naturali et revelatione cognita, recolenda sunt quaedam principia theologica.

Inter veritates ordinis moralis, naturali ratione non impervias, quae a Deo revelatae sunt et ab Ecclesia proponuntur, habentur certissime honestas et normae usus matrimonii ut docuit S. Pontifex Pius XI in Encycl. *Casti connubii* ...². Et post eum Pius XII ...³. Hac in quaestione etiam theologi ut admonuit Conc. Vatic. I ...⁴ et denuo inculcavit Pius XII in Encycl. *Humani generis* ...⁵ adhaerere debent doctrinae Magisterii authentici eique interne assentire, etiam quando non exercet plene suam potestatem docendo infallibiliter et definitive.

Neque singulis fidelibus neque ipsis theologis divinus Redemptor concredidit fidei depositum authentice interpretandum, sed soli Ecclesiae Magisterio, de quo, etiam de magisterio ordinario, valent verba Domini: « Qui vos audit, Me audit » ...⁶. Non sunt explicanda clara ex obscuris, sed contrarium ordinem sequi necesse est, *ait Summus Pontifex, Pius XII.*⁷

Nobilissimum theologiae munus est *ostendere*⁸ quomodo doctrina definita ab Ecclesia contineatur in sacro deposito, eo ipso sensu quo definita est.

Alia ex parte obliviscendum non est nos approbasse sententiam in Concilio, qua exegetis munus altissimum agnoscitur adlaborandi ad hoc ut praeparato studio futura Ecclesiae iudicia maturentur...⁹

Idcirco tanti facit Ecclesia theologos qui, ut S. Thomas, S. Bonaventura aliique Ecclesiae doctores coniunxerunt maximum studium declarandi scientifica expositione doctrinae depositum fidei, simul cum maxima docilitate erga magisterium vivum. Post Sacram Scripturam et Patres, praedictorum theologorum opera suppeditaverunt securissima manu ductione ipsis successoribus apostolorum in magisterio solemniter et in ordinario. *Ut dixit Summus Pontifex Leo XIII circa S. Thomam.*¹⁰

Iudicia solemniter Ecclesiae et indubitabilis professio fidei magisterii ordinarii episcoporum per orbem dispersorum, fideliter adhaerentium successori Petri est infallibilis; clara propositio doctrinae facta a magisterio Ecclesiae, praesertim a Summo Pontifice exigit assensum religiosum internum, maiori vel minori gradu, pro rei natura et vi documentorum quibus exprimitur; talis assensus praestandus est etiam a theologis et a fidelibus, peritis in quacumque arte, si ipsis non appareant argumenta certa inexactitudinis aut erroris in actibus magisterii authentici non infallibilis. Simili reverentia accipiendum est magisterium episcoporum, praesertim si collectivum et fere commune.

Scimus quantum aestimaverint Summi Pontifices testimonium episcoporum, non tantum ad praeparandas definitiones dogmatum marianorum, sed etiam in rebus socialibus, v. g. Pius XI in Encycl. *Quadragesimo anno*.

In Encycl. *Humani generis* dicitur: « Quod si Summi Pontifices in actis suis de re hactenus controversa data opera sententiam ferunt, omnibus patet rem illam, secundum mentem et voluntatem eorundem Pontificum, quaestionem liberae inter theologos disceptationis iam haberi non posse » ...¹¹

Ad rem nostram accedendo, dicamus doctrinam Summi Pontificis Pii XI, quoad reprobationem abusus matrimonii, habendam esse ut irretractabilem.

Ipse scripsit: « Cum igitur quidam, a christiana doctrina iam inde ab initio tradita neque umquam intermissa manifesto recedentes, aliam nuper de hoc agendi modo doctrinam solemniter praedicandam censuerint, Ecclesia catholica, cui ipse Deus morum integritatem honestatemque docendam et defendendam commisit, in media hac morum ruina posita, ut nuptialis foederis castimoniam a turpi hac labe immunem servet, in signum legationis suae divinae, altam per os nostrum extollit vocem atque denuo promulgat: quemlibet matrimonii usum in quo exercendo, actus de industria hominum naturali sua vitae procreandae vi destituatur, Dei et naturae legem infringere, et eos qui tale quid commiserint gravis noxae labe commaculati ». Si in hac declaratione non invenitur definitio ex cathedra et doctrina absolute infallibilis (quamvis ita opinati sunt magni theologi *v. g.*¹² Vermeersch et Hürth), non apparet tamen quomodo possit reformari et vi sua obligatoria evacuari, praesertim quia Summus Pontifex voluit opponere doctrinam semper constantem in Ecclesia solemniter praedicationi novatorum promulgatae ab anglicanis. Ideo ab hac doctrina eiusque firmissima professione praescindi non potest in schemate.

Summus Pontifex Pius XII voluit authentice interpretari et applicare ad casus magis particulares, doctrinam sui praedecessoris, praesertim in allocutionibus ad obstetrices et ad hematologos, et quidem non dubitanter sed cum firma exclusionem et reprobationem quorundam theologorum...¹³

Nescimus cur neque in schemate neque in annexis citentur haec documenta...¹⁴

Moderator: Exc. me Pater, velis venire ad n. 23 huius cap. IV, de quo n. 23 fit nunc disceptatio.

Orator: Ego petieram ad nn. 21 et 24.

In textu scripto tradito: ¹ nn. 21 et 24. ² (A.A.S., 1930, p. 579).
³ (*Humani generis*, DENZ. 3875 et A.A.S., 1950, p. 843; 1958, p. 843). ⁴ (DENZ. 3005, 3015-3045). ⁵ (DENZ. 3875, 3881-3886). ⁶ (*Lc.* 10, 16).
⁷ deest. ⁸ deest. ⁹ (*de revelatione*, cap. III, n. 12). ¹⁰ (*Enc. Aeterni Patris*, Leonis XIII). ¹¹ (DENZ. 3885). ¹² ut. ¹³ (A.A.S., 1950, p. 843 et 1958, pag. 743). ¹⁴ quamvis aliqui ea considerent ut solutionem provisionalem. Quo iure hoc faciunt? Forte quia agitur tantum de allocutionibus? Etiam allocutione quadam Pius IX approbavit doctrinam episcoporum Germaniae de potestate episcopali, ut authenticam interpretationem Concilii Vaticani I (DENZ. 3112-3117); alia occasione declaravit definitive matrimonium inter baptizatos semper et inseparabiliter habere dignitatem Sacramenti, excludendo opinionem quorundam theologorum. Vera methodus theologica quoad



interpretationem documentorum magisterii Ecclesiae procedere debet ab ipso documento, in sensu obvio et in contextu doctrinali et historico, necnon attendere ad interpretationem authenticam, si adsit; videndum est utrum documentum sit valoris absoluti et infallibilis vel tantum norma prudentialis et transitoria. Infallibilitas magisterii pendet ab adsistentia Spiritus Sancti in determinatis circumstantiis quas explicavit Concilium Vaticanum I; magisterium ante definitivam sententiam uti debet maxima prudentia omnibus mediis opportunis ad investigandum sensum qui continetur in Deposito fidei, sed propositio infallibilis proprie non pendet ab ipsa investigatione.

Absolute loquendo est possibile quaedam argumenta quae proponuntur a Magisterio ut illustrantia rationis propriae decisionis non esse prorsus apodictica, ideoque textus Sacrae Scripturae et monumenta traditionis posse in casu habere alium sensum, sed non propter hoc infirmatur vis definitionis doctrinalis vel potest modificari eius sensus: Utique poterit perfici vel compleri sed non interpretari sensu diverso.

Quando actus magisterii non sunt infallibiles, quia non constat ipsum voluisse infallibiliter docere et definire, huiusmodi actus possunt retractari a competente auctoritate; etiam aliquibus in casibus constare potest doctrinam propositam non sufficienter fundari in deposito fidei, immo habere contra se tales difficultates, ut assensus doctiorum, vel etiam totius populi fidelis non sit obligatorius.

In casu praesenti, quoniam Summus Pontifex Pius XII, non infallibiliter, sed certo, authentice voluit data opera sententiam ferre de quaestionibus discussis inter theologos, etiam in probando opiniones aliquorum, nisi aperte constaret Pontificem in applicatione doctrinae Ecclesiae a Pio XI solemniter promulgatae excessisse, eius sententia habenda est ut firma, eo vel magis quod actualis Summus Pontifex dixit normas Pii XII habendas esse validas quoadusque ipse Romanus Pontifex, post maturam considerationem censuerit in conscientia eas esse modificandas.

In actuali cognitione legis divinae videtur non posse tuto doceri sententia opposita doctrinae Pii XII, neque publice neque private.

Ideo vel praescindendum est ab hac quaestione in schemate XIII vel transcribenda ipsissima verba Summi Pontificis regnantis. Agere ex professo in Concilio de ethica coniugali et simul silentio praeterire normas Pii XII, videretur improbatio saltem implicita eius doctrinae et duceret forte ad violationes legis divinae, quae imputabiles essent, saltem indirecte, negligentiae Magisterii vivi Ecclesiae.

Moderator: Loquatur nunc exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Lego textum suffragationis IX. Videatis n. 21 [cf. pag. 141]. Placetne an non placet?



3

EXC.MUS P. D. PAULUS ZOUNGRANA

Archiepiscopus Uagaduguensis

Venerabiles Patres conciliares, carissimi hic omnes adstantes,

Nomine 70 episcoporum Africae et Brasiliae,¹ humiliter haec sequentia expono.

Inter gravia problemata quae hodierno mundo ponuntur, eminet problema nationum evolventium. Ecclesiae autem est omnes homines bonae voluntatis monere de his quaestionibus omnibusque suis filiis normas dare.

Schema de hac re tangit in n. 23 et quoque 24, sed modo nimis conciso et nimis generali. Maxime vero interest pacis mundi. Optatur itaque ut Concilium, iuxta mentem Summi Pontificis Papae Ioannis XXIII in Litteris Encyclicis *Mater et Magistra*: 1. vividius exponat quis sit status oeconomicus et socialis nationum, ut aiunt, tertii mundi; 2. ostendat qualis novus ordo oeconomicus et socialis fundatus in nova ethica internationali necessarius sit.

I. *Status regionum tertii mundi*. Nationes sui profectus viam ingredienti nunc in dies tardiores fiunt, si comparentur nationibus ditioribus quarum evolutio celerior est; disaequilibrium, seu differentiae, quae alterutrarum sunt, in dies crescunt.

a) In primis, quia numerus hominum crescit. Ex enim certis scientiae praenotationibus, praevидetur in futuris annis numerus hominum plus crescere in nationibus sese evolventibus quam in nationibus iam ditioribus: e nostro tempore usque in annum bis-millesimum, numerus hominum duplicabitur in regionibus pauperioribus, dum nationes ditiores, quae iam homines habent pauciores, tantum crescunt tertia parte.

b) Aliunde, differentiae oriuntur quia regiones pauperes non possunt tantum evolvi quantum evolvuntur regiones opulentiores. Istius impossibilitatis causae sunt sequentes principales: deterior est status terrae et simul rudis ratio in agris colendis; perpaucae sunt facultates et pecuniae quibus res oeconomicae provehantur (*faible capacité d'investissement*²); magno tam complexo labori non multi suppetunt viri technice instructi; producta praesertim agraria, incertis mercatus subiecta, male venundantur; deinde pauciores constant opes energeticae; nimis patitur mora in campo instructionis.

Quos defectus bene noverunt omnes qui curam habent problematum oeconomicae evolutionis.

c) Insuper recens Conferentia Genevensis de Commercio, in Helvetia acta, novam causam ostendit, scil. *terminos mutui in dies deteriores fieri*. Haec explicatio: producta ex industria externa in regionem pauperiorem importata maioris pretii fiunt dum producta eiusdem regionis pauperioris ad exterum exportata valore minuuntur in foro internationali. Per hunc modum agendi, etiam si auxilium pecuniae nationibus pauperioribus continue daretur, hoc, in praesenti rerum statu, impedire non posset quin redditus opum in regionibus pauperioribus in dies minuerentur, differentiis inter partes orbis sic semper crescentibus.

Ex his omnibus patet has nationes a bonis imperatas vere captivas esse in circulo vitioso...³

Quae mala minus proveniunt ex defectibus agricolis quam ex hodierno systemate ad tales deceptiones saepius ducente.

II. *Nova ethica necessaria est*. Agnoscere debemus, proh dolor, quod nationes opulentiores istud nocivum systema auxilii et mutui in re oeconomica nolunt funditus mutare quia lucra in negotiis perturbarentur. Quare oportet affirmare quam necessarium sit instaurare et promovere novum ordinem oeconomicum et socialem pro toto orbe, in nova ethica internationali fundatum.

Pro nationibus ditioribus. a) In mentem semper revocandum est superfluum esse pauperis, non solum ex officio eleemosynae sed ex iustitia. Sicut homines in periculo mortis versati non adiuvari, lege civili damnatur, sic « Quicumque, ait S. Basilius, in sua potestate mali remedium habens sed voluntarie ex avaritia renuerit, eiusdem poenae iure damnetur ac homo qui propria manu occidat ».

Itaque auxilium pecuniarium a nationibus ditioribus data, ex iustitia crescere debet.

b) Meminerimus etiam quam necesse sit egoistas donatorum utilitates, aut oeconomicas, aut militares, aut ideologicas, locum dare amicitiae verae. In sola amicitia permittetur *evolutio universalis et integra in solidaria cultura* ubi quaelibet pars erit activa in aequalitate. Tunc circuli vitiosi dirumpi poterunt quoniam amor morte fortior est.

c) Insuper aequitas *commercii*,⁴ in relationibus communibus inter nationes firmanda esset, quamvis capitalistae parati non sunt huic necessario sacrificio.

Pro nationibus pauperioribus. a) Consciae debent fieri necessitatis



in qua sunt non disperdendi parvas opes suas sed quam optime utendi auxiliis receptis non in bonum particularium sed in bonum commune.

b) Ob veridicitatem quae futuri condicio est, consciae etiam fieri debent quomodo res suae oeconomicae invicem sese compleant; itaque debent, secundum principium subsidiariorum, sic in coetus sese adunare ut constituent spatia oeconomica quae per se vivere possint.

Concludo. Hodiernae res oeconomicae, quas brevissime conspeximus, sive in schemate, sive in adnexis, melius in lucem ponendae sunt. Quin Concilium det solutiones technicas, eius tamen est oculos christifidelium aperire in res tales quales hodie se habent; e rebus enim fiet evolutio, sed analysis rerum nimis imprecisa germen esset cladis.

Periti ergo audiendi sunt ut compleatur *n. 23 vel etiam 24*⁵ schematis. Immo vocetur quidam peritus rerum oeconomicarum, *sive sit laicus sive*⁶ sacerdos, ...⁷ ista quaestione Tertii Mundi, nos omnes, Patres conciliares, in ipsa hac aula moneat; ita ut Ecclesia tandem munere suo materno fungatur, iustitia consummetur et nationes sese evolventes expectationi suae responsum percipiant. Gratias maximas.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² deest. ³ Ad modum exempli, liceat sequentia dicere: In quibusdam africanis regionibus, animatio ruralis incepta est a iuvenibus agricolis, quos adiuvarunt laboriosi et capaces technici viri; ob externis pecuniis et auxiliis, melior et magis varia agricultura facta est, quae fructus uberiores dedit. Saepissime autem hi conatus ad nihilum redacti sunt, quia defecerunt sive viri ad mediam technicam instructi, sive pecuniae necessariae pro novis inceptis dum producta male venundabantur, sive suppetiae sat diu praestitae circa pecuniam aut media technica a nationibus ditioribus. ⁴ mutuum. ⁵ n. 24. ⁶ deest. ⁷ qui de.

[*Subscripserunt etiam*] J. Coucherousset, arch. Bangui; J. Wolff, arch. Diego Suarez; M. Bernard, arch. tit. Are; Henry Véniat, év. Fort Archambault; A. Baud, év. Berberati; J. Fauret, év. Pointe Noire; V. Sartre, arch. tit. Beroensis; L. Chambon, év. Bossangoa; P. Dalmais; Samuel Gaumain, év. Moundou; Georges Guibert, év. Réunion; Pierre Célestin; Paul Etoga, év. Mbalmayo; Ad. Messmer, év. Ambanja; L. Sangaré, arch. Bamako; Jérôme Rakotomalala, arch. Tananarive; W. L. Schmidt, ep. Xapecoensis; J. Gazza, ep. tit. Circesio; José Lamar-tine Soares, ep. tit. Fussalensis; Claudio Colling, ep. Passo Fundo; João Batista, arch. Vitoria E. S.; Iosephus, arch. Fortalexiensis.

Secretarius generalis: Notum facio exitum VII suffragationis:

Votum dederunt Patres	2.062
Dixerunt <i>placet</i>	2.040
<i>non placet</i>	22



Ergo textus est a congregatione approbatus. Nunc lego textum suffragationis X, pag. 36 nn. 22-24 [*cf. pag. 141-144*]. *Placetne an non placet hic textus?* Ergo sunt nn. 22-23-24.

Moderator: Et nunc fiat transitus ad disceptationem de n. 24 huius cap. IV schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis*. N. 24 inscribitur: de solidaritate familiae populorum promovenda, et velit relationem nobis proponere clarissimus vir Iacobus Norris, relationem dico de paupertate mundiali.

Secretarius generalis: Et interea, Patres venerabiles, lego nomina eorum, qui verbum facere postulaverunt, post relationem circa hunc numerum. Sunt em.mi ac rev.mi DD. cardd. Ioseph Frings, arch. Coloniensis. in Germania; Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis. in Neerlandia; exc.mi ac rev.mi DD. Ioannes Rupp, ep. Monoecensis. in Monaco; Antonius Pildáin, ep. Canariensis. in Hispania; Eduardus Swanstrom, ep. aux. Neo-Eboracensis. in Stat. Foed. Amer. Sept.; Gregorius Thangalathil, arch. Trivandrensis. in India; Geraldus Mahon, sup. gen. Soc. Missionalis S. Ioseph de Mill Hill; Franciscus Šeper, arch. Zagrabienensis. in Jugoslavia.

Deinde nomine 70 Patrum loquetur em.mus D. Paulus Maria card. Richaud.

D. IACOBUS NORRIS

RELATIO

super n. 24 cap. IV schematis
de Ecclesia in mundo huius temporis

...¹ In ultimis duobus decenniis problema paupertatis — unum ex veterrimis et profundissimis coram quo stat conscientia christiana — novam formam, novas dimensiones et novam urgentiam assumpsit. « Semper pauperes habetis vobiscum » (*Mt.* 26, 11), verum est, sed hodie pauperes nobiscum sunt in novo contextu, quia cognitio scientifica, medicina et technologia creaverunt in mundo unicam oeconomiam et unam communitatem, quae interdependentes sunt. Haec autem communitas caret magna ex parte institutis atque rationibus agendi quae revera exprimunt solidaritatem, compassionem et obligationem humanam.

In hac communitate inaequali, aequilibrio deficiente, parvus circulus



nationum ingenter opulens factus est. Hae nationes constituunt solummodo sexdecim centenas (16/100) populorum mundi et possident septuaginta centenas (70/100) divitiarum mundi. Illae nationes inveniuntur in regione apud Oceanum Atlanticum Septemtrionalem atque historice christianae sunt, etsi non semper in praxi. Hodie prima vice in historia mundi nationes praevidere possunt prosperitatem semper crescentem. Simul autem tres quartae partes generis humani existunt in statu paupertatis quasi subhumanae.

Lacuna inter opulentes et pauperes festinanter latior fit — in hac unica communitate mundiali ubi nos omnes vicini sumus, opulentes fiunt opulentiores, dum pauperes fiunt pauperiores. Numquam antea in historia generis humani existebat talis condicio, quae tantum provocat (vulgo anglice “challenges”) conscientiam christianam hominum nationum septemtrionalium, quia certum est media existere apud has nationes ad paupertatem in toto orbe terrarum gradatim eliminandam.

Professio christiana et traditiones humanae apud illas nationes nullum verum valorem habebunt si obliviscuntur quod ipsae sunt mere custodes opulentiae, et obligationes sociales fluunt ex tali possessione proprietatis. Haec possessio opulentiae ingentis qua hodie gaudent, a generositate redemi debet.

Variae organizationes — privatae, ecclesiasticae, nationales et internationales — laborant ad allevianda problemata paupertatis et famis in mundo; distantia tamen semper crescens inter opulentes et pauperes postulat ut nunc initietur actio realistica et dedicata ad plenam activitatem christianam contra haec problemata gerendam.

Haec responsabilitas ad omnes Ecclesias Christianas spectat. Proinde opportunitas datur ut in his laboribus uniantur. Hoc modo pondus opinionis christianorum in illos quibus est reipublicae administratio influeret ad non solum continuandum sed etiam ad extendendum auxilium, tum technicum tum pecuniarium, nationibus progredientibus. Sola magna communitas christiana habebit illam patientiam et spiritum quae tam necessaria sunt pro hoc opere, quod longum, arduum et saepe in vacuum cedit.

Paupertas mundialis non eliminabitur celeriter, neque statim solvantur problemata nationum progredientium. Proinde populi christiani bonum faciendo non debent fatigari.

Possibile erit paupertatem eliminare in mundo si in omni terra opulenta numerosi homines et feminae cum deditioe et spiritu caritatis, parati sunt aestimare problema paupertatis mundialis tamquam unum ex gravissimis problematibus in mundo huius temporis. Requiritur ut continent instare atque urgere ut rationes rei publicae gerendae (vulgo



“policies”) adhibeantur ad auxilium dandum et ad veram aequitatem in commercio internationali realizandam.

In nostro mundo complexo saeculi vigesimi solutio huius problematis non est solummodo in manibus nationum iam progressarum, sed etiam, uti sciunt duces prudentes terrarum progredientium, progressus oritur ex usu facultatum et opum indigenarum, cum materialium, cum humanarum, quibus Creator beneficus illas terras dotavit.

His ultimis diebus episcopus ex quadam natione progrediente mihi dixit: « Populi mei existunt non in paupertate sed potius in miseria permanente ». Haec forma paupertatis et miseriae affert secum multos alios dolores humanos. Paupertas affert famem — famem quae est permanens nec cessans — numquam alleviatur nec die nec nocte. Haec paupertas affert morbos (vulgo: Diseases - maladies - malattie) qui non curantur quia deficit servitium medicinale adaequatum. Causa huius paupertatis maior pars civium multarum nationum illiterati sunt. Causa huius paupertatis habitationes multarum familiarum sunt quasi habitationes animalium, ubi abundant crimen et peccatum. Haec paupertas significat quod mater videns cum amore novum natum, bene intelligit infantem probabiliter ante finem unius anni moriturum esse. Pro innumeris populis paupertas significat quod vita non plus quam triginta quinque annos perdurabit. Viventibus in tali paupertate mors saepe est dulcis dimissio e vita miseriae.

Amans familia humana non permetteret ut membra hoc modo paterentur. Quando omnia membra familiae christianae scient dimensiones miseriae et privationis pauperum mundi, certum est quod postulabunt ut terrae opulentes suae obligationi christianae respondeant.

Audeo proponere ut ex hoc Concilio Oecumenico edatur vox clamans ad actionem quae includat creationem structurae ad proponendum typos institutionum, relationes mutuas, modosque cooperationis, atque rationes agendi quibus obtineatur plena participatio omnium catholicorum in praelio universali contra paupertatem et famem. Hic coetus episcoporum repraesentat omnes nationes orbis terrarum. Quia paupertas mundialis tangit totam humanitatem, magna contributio nostrae Ecclesiae universalis posset esse illa manifestatio universalis amoris fraterni, quae efficeret ut doctrina socialis Ecclesiae applicaretur ad problema quod noster carissimus Sanctus Pater Paulus Sextus vocavit problema principale in mundo huius temporis. Loquendo de fame in mundo in suo nuntio natalicio anni transacti, Sanctissimus Pater dixit:

« Se non assistito da opportuni rimedi, si deve prevedere che non diminuirà ma che aumenterà... Se a Noi non è dato il potere miracoloso di Cristo di moltiplicare materialmente il pane per la fame del mondo,



è dato tuttavia di accogliere nel Nostro cuore l'implorazione, che sale dalle folle tuttora languenti e oppresse dalla miseria, e di sentirla vibrare in Noi con la stessa pietà del divino e umanissimo cuore di Cristo: *misereor super turbam*. " Ho compassione di questo popolo che... non ha da mangiare " (*Mt.* 8, 2). La sofferenza dei Poveri è Nostra e vogliamo sperare che questa Nostra simpatia sia di per se stessa capace di suscitare quel nuovo amore che moltiplicherà, mediante un'economia provvida e nuova al suo servizio, i pani necessari per sfamare il mondo ».

In oratione: ¹ Em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres conciliares, periti, observatores, auditores et auditrices. Faveant Patres me excusatum habere quia audeo loqui lingua antiquissimorum super problemata modernissima. Non propter meam scientiam linguae latinae, sed propter magnam reverentiam erga hoc sacrosanctum Concilium et etiam propter desiderium ardens exc.mi et amabilissimi secretarii generalis.

Moderator: Gratias agimus clarissimo relatori; loquatur nunc exc.mus D. Pericles Felici, secretarius generalis.

Secretarius generalis: Communico exitum suffragationis VIII:

Praesentes votantes	2.063
Dixerunt <i>placet</i>	2.055
<i>non placet</i>	8

Ergo textus est in congregatione probatus. Et ecce textus, Patres venerabiles, suffragationis XI pag. 39 nn. 25-26 [*cf. pag. 144-146*]. *Placetne an non placet?*

4

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. FRINGS
Archiepiscopus Coloniensis

Venerabiles Patres, carissimi omnes qui adstatis,

Ad concretisationem eorum, quae audivimus ex ore clarissimi Iacobi Norris, ut Ecclesia appareat mater et advocata pauperum, et ut signum demus collegialitatis nos episcopi haec proponere audeo.

1. Omnes conferentiae nationales ubique terrarum monentur ut condant opera *episcopalia* ad mitigandas miserias hominum et elevandum statum socialem vere pauperum, sive in proprio territorio, sive in alienis magis egentibus.



2. Haec opera sint *socialia* magis quam caritativa. Scopus eorum sit: eos adiuvere ut Deo favente, seipsos possint adiuvere. Quapropter praeter actiones et instituta immediate directa contra famem, morbos, calamitates imprimis formentur homines, foveantur scholae pro iuvenibus in agricultura, in artibus fabrilibus, pro puellis in rebus domesticis et hygienicis ordinandis. Pro adultis erigantur centra evolutionis socialis etc.

3. Haec opera sint *universalia* hoc sensu, ut omnibus prodesse velint sine discrimine stirpis vel religionis, imprimis quidem domesticis fidei. Personae iuridicae, quae singula obiecta portent et dirigant, sint episcopi missionum, societates religiosas, sed etiam alia instituta bene merita, sive catholica, sive non catholica.

4. Haec opera sint *religiosa*. Unicum motivum sit: Christo servire in fratribus. Collectae fiant in ecclesiis in ipsa missa temporibus liturgicis poenitentialibus, sive Quadragesimae, sive Adventus, si fieri potest, uno eodemque die cum non catholicis; donum uniuscuiusque christiani tantum sit ut verum et sensibile sacrificium pro suo posse constituat.

5. Haec opera sint *bene ordinata*. In quacumque natione commissio episcoporum distribuat pecunias collectas non sine cooperatione alicuius secretariatus qui perquirat proiecta proposita et non sine auxilio peritorum laicorum. Delegati horum operum nationalium semel saltem in anno conveniant ad mutuam informationem et coordinationem. Acta horum conventuum communicentur cum Sancta Sede, sive in scriptis sive si Sanctissimo placuerit per praesentiam Delegati Apostolici. Constituatur secretarius communis vel generalis, qui per totum annum curet propagationem huius operis in toto mundo et det informationes et curet coordinationem singulorum operum. Hic secretarius collaboret in sensu vere oecumenico cum consilio mundi christiano et cum aliis operibus internationalibus ad evolvendas gentes, uti sunt FAO, UNICEF, organisatio pro sanitate et pro labore et cum ipsa ONU.

Haec vel similis sit organisatio horum operum, quorum iam octo in magnis regionibus Americae et Europae existunt et feliciter laborant. Sed spiritus est, qui vivificat. Quare nos episcopi praecedamus in spiritu modestiae et fraternae caritatis deponentes vestimenta nimis triumphalia et ubique spirantes spiritum Christi, qui est paupertatis, humilitatis et caritatis fraternae. Dixi.

Textus scripto exhibitus:

Ad concretisationem principiorum in cap. IV contentorum, ut Ecclesia omni-



bus hominibus appareat ut mater et advocata pauperum, et ut episcopi dent signum visibile collegialitatis sub capite suo, haec audeo proponere:

1. Monentur conferentiae episcopales ubique terrarum, ut condant opera *episcopalia* ad mitigandas miserias et elevandum statum socialem vere pauperum, sive in propria natione, sive in aliis magis egentibus.

2. Opera ista sint *socialia* magis quam caritativa. Scopus eorum sit: adiuvere alios, ut Deo favente, adiuvent seipsos. Quare praeter actiones et instituta contra famem, morbos, calamitates immediate directa imprimis formentur homines, foveantur scholae pro iuvenibus in agricultura et in artibus fabrilibus, pro puellis in rebus domesticis et hygienicis ordinandis. Pro adultis erigantur centra evolutionis socialis etc.

3. Opera sint *universalia* eo sensu, ut prodesse velint omnibus sine distinctione stirpis et religionis, maxime quidem domesticis fidei. Personae iuridicae, quae portent et dirigant singula proiecta, sint episcopi missionum, societates religiosas, sed etiam alia instituta bene merita, sive catholica, sive non catholica.

4. Opera sint *religiosa*. Motivum unicum sit: Christo servire in fratribus. Collectae fiant in ecclesiis in ipsa missa temporibus poenitentialibus liturgicis, sive Quadragesimae, sive Adventus, si possibile sit, uno eodemque die cum Christianis non catholicis, ita ut donum uniuscuiusque sit sacrificium vere sensibile pro posse suo. Sic innoventur in forma hisce temporibus adaptata antiqua exercitia ieiunii et eleemosynae.

5. Opera sint *bene ordinata*. In quacumque natione pecuniae collectae distribuuntur per commissionem episcoporum, adiuvente secretariatu ad perquirenda proiecta proposita non sine auxilio peritorum laicorum. Semel saltem in anno conveniant delegati horum operum episcopalium ad mutuam informationem et coordinationem eorumque propagationem curandam. Acta horum conventuum communicentur cum Sancta Sede, sive in scriptis sive per praesentiam Delegati Apostolici. Secretariatus generalis condatur, qui durante anno curet propagationem totius operis et informationem ac coordinationem singulorum operum et collaboret in sensu oecumenico cum consilio mundiali christianorum non catholicorum et cum organisationibus internationalibus pro gentibus evolvendis, uti sunt FAO, UNICEF, organisationes pro sanitate et pro labore et ipsa ONU. Haec vel similis sit organisatio horum operum quorum in magnis regionibus Americae et Europae iam octo existunt et feliciter laborant. Sed spiritus est, qui vivificat. Quapropter nos episcopi praecedamus in spiritu modestiae et caritatis deponentes vestimenta nimis triumphalia et ubique spiritum Christi spirantes, qui est paupertatis, humilitatis et caritatis fraternae.

Secretarius generalis: Lego textum suffragationis XII nn. 27-29 pag. 41 [cf. pag. 146-148]. *Placetne an non placet?*



EM.MUS P. D. BERNARDUS IOANNES CARD. ALFRINK
Archiepiscopus Ultraiectensis

Venerabiles Patres,

*Libentissime verbis em.mi card. Frings adhaereo.*¹ Iam per aliquot annos Episcopatus Neerlandiae opus erexit inter fideles ad miseriam pauperum mundi sublevandum et sperandum est ut omnes fideles mundi ad istum finem vere christianum *cooperent.*² De cetero liceat loqui de alio problemate cum n. 25 adnexum. Schema nostrum in n. 25, de solidarietate familiae populorum optime tractat. Omnino placet, ut in hac materia valde discussa colloquium Ecclesiae cum mundo hodierno prudenter praeparetur. Sed omnes scimus quot homines vitam sociale populorum secundum ideas atheisticas et communisticas diiudicant. Quomodo etiam illos in cognitionem veritatis adiuvamus? Certo certius atheismus reiciendus est ubique terrarum invenitur; sicut et iniustitia socialis, oppressio et laesio libertatis religiosae ubique sunt repudiandae. Sed illis ex atheismi fautoribus qui bona voluntate veritatem inquirunt et in bonum commune operam dant, caritate fraterna occurramus. In favorem illorum hominum bonae voluntatis duas propositiones explanare liceat.

1. Ne iteretur *simplex damnatio* communismi. Pluries quidem talis damnatio hac in aula postulabatur. Cur tamen haec damnatio dissuadenda videtur?

Si usque adhuc Ecclesia periculum communismi atheistici nondum perlucidasset, utique: iudicium tale requireretur. Sed S. Sedes de eius indole atheistica iterum atque iterum locuta est. Cui adiuveret ulterior iteratio eiusdem sententiae? Experientia teste ne in regionibus catholicis quidem mera et sola damnatio communismi periculum imminens superavit!

Non Summi Pontifices tantum sed et multi episcopi in magisterio suo ordinario de hoc periculo locuti sunt. Et recte egerunt, nam tempore nostro atheismus et materialismus per totum orbem terrarum diffunduntur, ubi inveniuntur sive in forma theoretica sive in forma practica. In utraque autem forma maximum periculum pro vita religiosa constituunt. Simplex damnatio communismi unam tantum formam attingeret, alteram autem praetermitteret. Sed quis auderet dicere atheismum aut materialismum practicum vitae religiosae fidelium minus nocere quam atheismus aut materialismus theoreticus?



Cura nostra pastoralis etiam in mundo communistico bona germina inquirat. Proh dolor, omnes hac in re periti ex experientia quotidiana confirmant conamen colloquii de quaestionibus fundamentalibus cum fautoribus officialibus communismi atheistici semper fuisse in vanum; sed iidem periti eadem firmitate dicunt, dialogum cum singulis hominibus bonae voluntatis quamvis ideis communisticis imbutis saepe saepius repraesentavisse dialogum nocturnum Christi cum Nicodemo.

Ad illum dialogum autem dilargiendum ulterior damnatio non adiuvet; quod requiritur, est documentum visibile amoris Christi qui venit quaerere et salvum facere quod perierat.

2. Si ergo damnatio communismi non iteranda videtur, de communismo autem atheistico agere debemus, quid videtur faciendum? En alteram propositionem.

Etsi Concilium atheismum ubi invenitur repudiare debet, invocet tamen omnes ad rectam et diligentem praeparationem colloquii cum singulis hominibus in atheismo obstricti.

Moderatores rei publicae obsecrentur ut vera libertas, speciatim libertas religiosa omnibus hominibus concedatur. Meminerint quod religio, experientia teste, et libertatem et aequalitatem et fraternitatem omnium hominum tuetur et explicat.

Viri in quacumque scientia eruditi hortentur ut pacato animo multipliciter mundi investigent et in operibus atheorum veras sententias a suppositionibus temerariis et falsis discernant.

Fideles in libertate religiosa viventes moneantur ut fidem suam catholicam omni modo possibili profundiores reddant, ut omni diligentia ordinem oeconomicum et sociale instituire navent in qua vera iustitia socialis inhabitat ac ut caritate non ficta erga singulos pauperes et erga nationes egentes fulgeant.

Fideles vero, qui sub onere atheismi gemunt per caritatem nostram et per nostrum adiutorium, in quantum fieri potest consolentur, et in fide et fidelitate confirmantur per repromissiones quas ex ore Domini et Apostolorum Concilium repetat omnibus qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.

Videtur quod tali modo Ecclesia, quae ut mater omnium hominum et populorum in Christi nomine se gerere debet, omnia repudiat quod in atheismo, in communismo aut quacumque in parte repudianda sunt, dum ex altera parte non clauditur porta ad dialogum sincerum et fructuosum, ad quem Concilium omnes homines bonae voluntatis invitare vult et ad quem Ecclesia se ipsam paratam declarat. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² adhaereant.



Secretarius generalis: Communico exitum suffragationis IX:

Suffragium tulerunt Patres	2.044
Dixerunt <i>placet</i>	1.986
<i>non placet</i>	57
Suffragium nullum	1

En exitum suffragationis X:

Praesentes votantes	1.993
Dixerunt <i>placet</i>	1.979
<i>non placet</i>	12
<i>Placet iuxta modum</i> (ergo nullum)	1
Suffragium nullum	1

Ergo duo textus sunt in congregatione approbati. Lego textum suffragationis XIII pag. 43 nn. 30-32 [*cf. pag. 148-151*]. *Placetne an non placet?*

6

EXC.MUS P. D. IOANNES RUPP

Episcopus Monoecensis

Venerabiles Patres, Fratres dilectissimi,

...¹ Quatuor animadversiones facere cupio. Prima est de modo dicendi seu de forma n. 24, secunda et tertia sunt de substantia, quarta est conclusio vel potius exhortatio. Emendationes quas propono scripto tradam.

Prima animadversio. Res de quo in n. 24 modo tam obscuro exponuntur ut quae ex sese clarae sunt in textu saepe obscurantur dum eiusdem stylus timidus vel emphaticus pauca dicit in multis verbis *et alia huiusmodi scripto tradam.*²

Altera animadversio. In § 5 sermo fit de problemate demographico. Dum aliqua ponuntur quae modo sat diplomatico limitationem prolis insinuant, *nil dicitur si bene intellexi,*³ nil dicitur de iure ad emigrationem quod omnibus hominibus competit ac permultis, praesertim magna prole oneratis, omnino necessarium est.

Orbis christianus qui sicco oculo fratres nostros christianos vel non christianos ex Extremo Oriente contemplet, dum in territoriis sat



exiguus relegantur ac in regionibus fere vacuis vel saltem parum frequentibus, iure immigrationis omnino privantur quamvis paucae nationes, inter quas magna et nobilis natio brasiliensis exemplum Pontii Pilati non sequuntur. Orbis christianus, inquam, admirationem excitat, sensu non nostro sed latino qui plus minusve scandalum significat.

Ius ad emigrationem et immigrationem in textu nostro omnino affirmari debet.

Tertia animadversio. De fame non corporis sed amoris. Ad solidaritatem universalem inter populos fovendam aliqua in textu poni debent de solidaritate quae speciatim inter christianos diversarum nationum ac confessionum vigere debet.

Hoc punctum sat momentosum in uno tantum schemate huius Concilii tangitur, ni fallor, nempe in cap. II schematis *de Oecumenismo*, circa finem. Sed quae dicuntur, ad usum delphini, nempe rei oecumenicae nobis tam carae, sed quae sincere ac veraciter tractari debet, ponuntur. *Cap. II de populo Dei in schemate de Ecclesia aliquid ponere posset sed hoc caput est severum tantum erga christianos. Facilius salvari anima potest extra Ecclesiam quam intra Ecclesiam, si hoc caput bene legitur.*⁴

Defectus solidaritatis inter christianos magnum detrimentum affert universo mundo. Vim beneficam christianismi in mundo minuit, genus humanum stimulo pulchri exempli deprivat, ac etiam mala immensa secum ferre potest. Sufficit bellum universum primum memorare quod bellum civile fuit inter christianos.

Hodie si aliqua perficiuntur quae solidaritatem christianam optime exprimunt, nempe opus sic dictum « Misereor » ex Germania oriundum et ab omnibus *iure*⁵ laudatum et alia opera eiusdem generis, si hanc solidaritatem adhuc fovemus dum sacerdotes in has nationes mittuntur quae vocationibus egent, tamen contra eam peccamus dum fratres nostros oppressos, persecutione afflictos, bonis spoliatos, domo, patria violenter orbatos raro defendimus, bona etiam temporalia quae a cultura christiana procedunt rarius extollimus, viros christianos parum adiuvamus qui bonum commune alicuius regionis vel totius orbis procurare intendunt, iudicia acerba ferimus de fratribus qui nobiscum legitime in materia libera dissentiunt ac miro modo saepe saepius magis contra christianos quam pro christianis verbum facimus.

Filii gloriosae ac christianissimae nationis armenae (Armenia) haec solent dicere: si christiani non essemus mundus christianus curam habuisset de sorte nostra. Etiam in regionibus ubi atheismus nondum regnat *non in regionibus communistis*,⁶ fratres nostri persecutiones patiuntur. Sunt in hac aula episcopi sat multi qui ipsi tormenta passi sunt

vel etiam maiore dolore afficiuntur cum de sacerdotibus ac laicis suis cogitant qui, in hoc ipso momento ubi loquor in carceribus et tormentis gemunt. Cur haec mala, modo pacifico, sed strenue non impugnantur?

Defectus solidaritatis inter christianos variis modis explicari potest.

*Psychologice praesertim*⁷: Viget apud nos *complexus inferioritatis* qui ex aestimatione non recta rei christianae Spiritu Dei et gratia divina moderatae procedit et a mente christianorum antiqui temporis prorsus est alienus: cogitemus verba Tertulliani quae omnes memoriter tenemus.

Hic complexus miro modo cum megalomania quadam coalescit qua plebiscitum in favorem Evangelii exostulamus *ex universo orbe*⁸ dum iuxta mentem Dei granum sinapis evangelicum humilitate vult crescere.

Alia explicatio ex sic dicta *mala conscientia* christianorum invenitur. Sed valor obiectivus christianismi a virtutibus vel peccatis nostris non *totaliter*⁹ pendet. « Dummodo Christus annuntietur, etiam per invidiam vel contentionem (i. e. heu per peccatum), in hoc gaudeo sed et gaudebo ». Nulla superbia inde in iis qui « in cruce Domini nostri Iesu Christi gloriantur ».

Alii timent ne solidaritas inter christianos caritatem inter nos et non christianos minuat. ...¹⁰ E contra Musulmani, Buddhistae, *praesertim*¹¹ Communistae (*quos melius novi*¹²) qui fratres suos *modo nonnunquam heroico* adiuvant non intellegunt cur apparenter saltem soli christiani christianos parum diligunt.

Re vera solidaritas inter christianos a fide procedit dum « unum corpus unus panis multi sumus qui de uno pane participamus » *et hoc verum est realiter non tantum in Ecclesia sed semper debet verum esse quia verum est in mente Christi*¹³ et ad fidem ducit dum caritas inter christianos, etiam ...¹⁴ in pluribus Ecclesiis congregatos, *aliquo saltem modo illud mandatum Domini implet* « unum sint » quod iuxta verbum Domini ad hoc tendit ut « mundus credat ». Crescat ergo, proficiat amor fraternus christianorum ut calor eius ignem amoris in toto orbe accendat!

Quarta animadversio in hoc vero consistit quod pauca verba a viris laicis dioecesis meae scripta legere nunc audeo. Hi viri sunt syndicalistae, *et in dioecesi mea non est tantum « casino » neque viri vel feminae ditissimae sed est populus bonus et sanus ad totum mundum ignotus*¹⁵ et de solidaritate humana in genere loquuntur. Sufficiat haec e texto eorum assumere.

*Silentium christianorum, loquuntur de solidaritate in genere non iam tantum de christianorum solidaritate.*¹⁶

Silentium christianorum eos participes (gallice: complices) iniustitiae eos facit ubi loqui possunt.



Si regnat in hoc mundo fames, analphabetismus, si multi scholis, cultura etiam libertate privantur, si multae inaequalitates iniustae ubique inveniuntur et alia eiusmodi, sciant christiani se sat numerosos, sat potentes esse ut non *tantum malum* sed *causas et radices* mali feliciter impugnent.

Vocentur ab ipso Concilio iuvenes universi mundi, iuvenes qui hodie maior pars sunt mundi et magis efficax ad hoc bellum pacificum. « Un fil direct doit être établi entre le Concile et les jeunes ».

Si christianitas fit (*et finis*¹⁷) magis christiana, magis generosa, lux mundi erit.

Si, e contra, remanet sicuti est nimis prudens, nimis politica, nimis diplomatica, *uno verbo*¹⁸ nimis feminea, *nimis ex hoc mundo*, mundum neque salvabit neque attrahet sed nec sibi ipsum ius *subsistendi* in hoc mundo sibi vindicare poterit. Dixerunt filii mei et dixi.

In textu scripto tradito: ¹ Loquens de cap. IV art. 24 nempe de solidaritate inter populos fovenda. ² E. g. in § 1 ad hoc exprimendum quod progressus humanus magis a spiritu quam a materia vel intellectu procedit, 80 verba requiruntur. Idem valet, salvo minore numero verborum de paragrapho altera. Ad recte intelligendum quid § 3 sibi vult, plura momenta necessaria sunt. § 4 eandem perseverantiam, patientiam, astutiam a lectore exigit. Haec sufficiant. Res, si fieri potest, clariore modo exponantur. ³ deest. ⁴ deest. ⁵ deest. ⁶ deest. ⁷ deest. ⁸ deest. ⁹ deest. ¹⁰ Sed. ¹¹ deest. ¹² deest. ¹³ deest. ¹⁴ adhuc. ¹⁵ deest. ¹⁶ deest. ¹⁷ deest. ¹⁸ deest.

Secretarius generalis: En, venerabiles Patres, exitum suffragationis XI:

Praesentes votantes	2.005
Dixerunt <i>placet</i>	1.982
<i>non placet</i>	22
<i>placet iuxta modum</i>	1

et nullum suffragium nullum: attamen est nullum *placet iuxta modum*.

Ergo textus probatus est a congregatione. Et nunc audiatis, Patres, textum suffragationis XIV, quae est ultima hoc mane. Pag. 45 nn. 33-35 [*cf. pag. 151-154*]. Ergo *placet an non placet?* Et gratias vobis agimus plurimas, Patres venerabiles; sat prata biberunt; gratias.



7

EXC.MUS P. D. ANTONIUS PILDÁIN Y ZAPIÁIN

*Episcopus Canariensis**Venerabiles Patres,*

Loqui vellem, de gravissimo problemate, propter quod hodie gravibus iniuriis impetitur christianismus, immo et blasphematur ipsum Sanctum Dei nomen inter gentes, et de quo adeo eloquenter locutus est nobis clarissimus relator.

Loquor de problemate quod tangitur in hoc n. 24 schematis, quando hanc gravissimam posuit asseverationem, videlicet, quod, dum quaedam nationes, quarum saepe, maior incolarum pars christianorum nomine censentur, magna fruuntur bonorum copia, adeo ut, prout dixit nuper illustrissimus relator, hae nationes constituentes solummodo sexdecim centenas (sedecim per cento) populorum mundi, possident septuaginta centenas (settanta per cento) divitiarum mundi; aliae nationes privantur rebus vitae necessariis, et torquentur omnigena miseria, morbis et fame; fame inquam, qua plus quam dimidia pars generis humani hodie vexatur, et ex cuius sequelis, plura *millia centena*¹ millia millium hominum moriuntur.

Horrendum quidem scelus, quod futura Historia, veluti nefandissimum stigma, sculpet in fronte huius nostri saeculi xx.

Laudandum proinde hoc schema quando, in numero praecedenti, affirmat, Deum constituisse bona terrae totius generis humani patrimonium — quod est principium capitale, in tota hac quaestione, semper prae oculis habendum.

Sed minime tali laude dignum hoc schema — omni qua par est reverentia dico — quando, tam in illo, quam in praesenti numero, tacet omnino aliud principium capitale, ex primo illo logice profluens, et quod, omnibus gentibus praedicatum, principium efficax esse posset, pro solutione gravissimi problematis quod nos occupat.

De principio loquor, quod, ni fallor, omnino taceri solet ab omnibus vel celeberrimis Associationibus internationalibus hodiernis; principium a quo, tamquam a facie colubri, fugere solent, omnes capitalismi liberalis fautores; principium quod saepe saepius tacetur a quamplurimis scriptoribus non christianis, et, quod magis mirum est, aliquoties et ab aliquibus sociologis catholicis; quasi ageretur de principio aliquo demagogico, seditioso et turbulento, cum, e contra, agatur de principio, ex iure naturali profluente, ex Sacra Scriptura desumpto, a Sanctis Patribus eloquentissime pervulgato, a iurisperitis et theologis



catholicis scientifice expolito, et a Principe Theologorum S. Thoma, in sua Summa Theologica ...² quasi sculpto, illis simplicissimis, sed quasi lapideis verbis: « In necessitate sunt omnia communia », quia ea quae sunt iuris humani, non possunt derogare iuri naturali vel iuri divino et cetera quae omnes nostis.

Ex quibus, a Principe Theologorum splendide, ut solet expositis, sequitur, nullam nationem habere ius erogandi bona in luxibus, vel in superfluis, aut minus necessariis, dum in aliis nationibus adsint homines in extrema necessitate positi, qui, facientes quod in se est, eam superare non possint.

Quia ut dicit ipsemet S. Thomas, repetens verba S. Ambrosii: « Esurientium panis est, quem tu detines; nudorum indumentum est, quod tu recludis; miserorum redemptio et absolutio est, pecunia quam tu in terram fodis » aut in aere dissipas, addidisset hodie.

Necessitas vero haec, quam S. Thomas in sua asseveratione non qualificat — sit venia verbo — hodie perpensis Sanctae Sedis et posteriorum theologorum explicationibus, denominari solet extrema, et enuntiari, ut nostis, his verbis: « In casu extremae necessitatis, omnia bona sunt communia ».

Principium quod indigentibus, non solum individuis, sed et populis, facientibus quod in se est, nec tamen ab hac necessitate sese evadere valentibus, facultatem tribuit necessaria sibi assumendi ab altero ...³ et maxime ab individuis et nationibus praedivitis, « cui facultati, in indigente, accipiendi, respondet in altero, obligatio non impediendi ne ille accipiat ». Loquor verbis em.mi theologi card. de Lugo.

Necessitas autem haec suprema intelligenda est, non tantummodo pro casibus in quibus indigens inveniatur quasi in articulo mortis, animam suam iamiam exhalaturus sed, prouti dicit insignis theologus Soto, in hac necessitate invenitur homo, quandocumque appropinquat morbis insanabilibus, aut alterius miseriae *extremae*,⁴ qualiter inveniuntur hodie centena millia millium famelicorum, ipsissimis his diebus, in hoc mundo hodierno.

Ex hac *ergo* doctrina ...⁵ omnino certum est, prout dicitur in schemate, gravissima obligatione iustitiae et caritatis teneri illas nationes praedivites, distribuendi aliis nationibus, in extrema necessitate positae, et quod in se est facientibus, non tantum quaedam subsidia auxiliaria, quasi eleemosynaria, quae saepe nec centesimam partem reddituum divitiarum attingunt, sed media, sive terrigena, sive technica, quibus indigentes, laborando, acquirere sibimetipsis possint quaecumque ad vitam humanam dignam sunt necessaria.

En doctrina communitarismi christiani, quae adeo congruit cum doctrina et spiritu Evangelii, ut de Ecclesia primitivae generationis,



ab ipso Iesu Christo, vel ab Apostolis eius immediate edocta, dici poterit: « nec quisquam egens erat inter illos »... utique laborantes, quia qui non laborat, neque manducet, ait⁶ S. Paulus. « Nec quisquam egens erat inter illos »...⁷

*En venerabiles Patres, omni reverentia dico, programma et quasi vexillum quod hoc nostrum Concilium ostendere deberet in universo mundo.*⁸

Hoc est quod plusquam centena millia millium hominum spectant a⁹ nostro Concilio.

Ne defraudemus expectationem eorum, fratres enim nostri sunt, ...¹⁰ filii eiusdem Patris, et unam familiam nobiscum constituunt. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² (II-II, q. 66, a. 7). ³ vel ab aliis. ⁴ deest. ⁵ quae communitarismi christiani nomine insigniri posset, utpote solidissimis principiis christianis suffulta, sequitur quod. ⁶ ut dicit. ⁷ nec quisque egens — quod in se est faciens — sit inter nos. ⁸ Ecce quod — mea humili opinione — programma et veluti vexillum esse deberet huius nostri Concilii; extollendum, non solum coram filiis Ecclesiae, sed coram omnibus hominibus universi mundi. ⁹ ab hoc. ¹⁰ utpote.

Votum additum:

In hoc n. 24 — et inter numeros quartum et quintum pag. 29, post lin. 13 — interponantur sequentia verba: « Ex quibus sequitur nullam nationem habere ius erogandi bona in luxibus, vel in superfluis, aut in rebus minus necessariis, dum in aliis nationibus adsint homines in extrema necessitate positi, qui, facientes quod in se est, eam superare non possint.

Immo sive individuus, sive populis facientibus quod in se est, sed a praedicta necessitate sese evadere non valentibus ob defectu auxiliorum debitorum ex parte nationum divitum, facultas et ius est illis assumendi sibi ab his nationibus, illa bona quae ad sese liberandum a tali necessitate sint necessaria, quin praedictae nationes ius habeant impediendi, sed e contrario obligationem non impediendi ne tales indigentes assumant sibi necessaria.

In necessitate enim, ut ait S. Thomas, sunt omnia communia, et ea quae sunt iuris humani non possunt derogare iuri naturali vel iuri divino.

In necessitate autem extrema invenitur homo quandocumque appropinquat morbis insanabilibus, aut alterius miseriae, qualiter inveniuntur hodie centena millia millium famelicorum in hoc mundo hodierno ».

Secretarius generalis: Cum venia em.mi moderatoris lego exitum suffragationis XII:

Praesentes votantes	1.981
Dixerunt <i>placet</i>	1.956
<i>non placet</i>	25

Ergo textus est in congregatione probatus.



8

EXC.MUS P. D. EDUARDUS SWANSTROM

*Episcopus tit. Arbensis, aux. Neo-Eboracensis**Venerabiles Patres,*

Ego cum munere fungar rectoris consilii quod episcopi Civitatum Foederatarum Americae instituerunt ad indigentes terrarum alienarum populos sublevandos ...¹ et quod nunc septuaginta tres nationes amplectitur, honorem mihi duco collaborare cum multis ex vobis qui inopibus et afflictis in regionibus vestris subvenire studetis...²

Quae evangelistae narrant de egenis et afflictis, nobis iam pueris tradita, nos omnes perspicue et acriter recordamur. Quia parabola Lazari et divitis semper me vehementer movit, dum miseriis flagellatas regiones huius mundi peragrabam, ipsum Lazarum saepe ac saepe oculis mentis adspiciebam...³

In talibus narrationibus evangelicis ea ipsa videmus quae Summus Pontifex Paulus nos intellegere cupiebat cum Die Nativitatis proxima dixit gravissimam quaestionem omnium populorum esse famem totorum populorum. De necessitatibus totius mundi loquens, « quae quaestio », inquit Sanctissimus Pater, « vertiginem nobis facit, necessitates enim sunt tam vastae, tam multiplices, tam immensae », ipse definitive ait « fames primum locum tenet ».

Subiecit nos scire hanc famem iam diu exstitisse, « sed hodie comperta omnibus est. Rationibus scientificis nunc probatum est quod plures quam dimidia pars humani generis sat ciborum caret. Etiam hodie, totae generationes liberorum ob egestatem, quam describere nequimus, moriuntur aut angustiantur ». Quam vere locutus est!

Illud magnum chaos inter esurientes et bono impletos populos, inter divites et pauperes multa nobis pericula affert non solum temporalia sed etiam praecipue aeterna.

Si fratrum custodes sumus, testimonium huius facti dare debemus. Non iam satis est ut e domibus nostris exeamus et quemdam Lazarum ad ianuam sedentem inveniamus. Cum curae sit Oecumenico Concilio Vaticano II omnes missionis Ecclesiae rationes adaptare ut Evangelium Christi ad vitam hominum vigesimi saeculi pertineat, modi etiam sunt nobis renovandi quibus fratres nostros in hoc mundo nostro curaturi sumus. In his diebus oportet ut missio socialis Ecclesiae sit nobis magnae curae, pro aliquibus inter nos etiam maximae curae.



Quomodo, e. g., insufficientem nunc numerum sacerdotum indigenarum in multis regionibus augere possumus — quod nostra tantopere interest — donec statum socialem et oeconomicum plebis eo usque promoveamus ut homines decenter et honeste vivere possint atque filios suos in scholis inferioribus instituendos curare, uti necesse est pro candidatis ad sacerdotium?

Non novae quidem sunt hae condiciones nostrae aetatis, quia egestas, fames, et pestes in vita hominum ab initio fuerunt, sed in nostris temporibus tamen et in hac aetate maxime commutatum est idque non tam de praesentibus rebus quam de eis quae homines nunc ad posterum sperant atque expectant. Si autem homines ea quae nunc sperant commutationibus pacificis habere non possunt, ea commutationibus violentis adipisci proculdubio conabuntur.

Ex hodiernae vitae condicionibus iam orta est totum per orbem terrarum tanta copia rerum, tantum auspiciam etiam plurimum ut homines nunc loquantur de novo saeculo in quo demum homines sperant se ea habituros esse ad quae numquam antea adspirare ausi sunt. Omnes scil. populi nunc sibi eadem cupiunt quae alios populos habere sciunt, quae nos omnes dilectis, amicis et liberis praebere cupimus, quae quidem multi ex nobis iam possidemus. Videmus id quod vulgo nuncupatur “a revolution of rising expectations”...⁴

In hac nostra civili societate, notandum est multos rei publicae moderatores ad quaestionem tragicam egestatis et indigentiae animos plene advertisse. Etiam si principes rebus politicis magna ex parte moveantur seditioesque et bella sedare maxime cupiant, ipsi tamen cordis caritate suorum civium plurimorum urgentur ut divitias opesque mundi inter omnes populos communicare conentur. Munus certe nostrum est uti episcoporum Ecclesiae quam Christus ipse condidit, rei publicae moderatores ad hos conatus exhortari, incitare, confirmare, eis in consiliis capiendis opitulari, eis nos ipsos adiungere in distribuendis cibis, vestibus, operis inter minus fortunatos quam nos, praesertim inter inopes et esurientes.

In par. 24 multa dicuntur praecipue de responsabilitate rerum publicarum et laicorum. Mihi videtur ut mentio fieri debet de magna responsabilitate episcoporum necnon sacerdotum participandi in modo activo in actionibus cum fine adiuvandi populum Dei se elevare ex abisso paupertatis et degradationis. Quia nos alii Christi sumus, ut Christus ipse, officium nostrum est adimplere non solummodo missionem spiritualem, sed etiam socialem.

. Nobis quoque ante solium iudicantis Dei standum est; quem no-



bis dicturum esse volumus « Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus minimis, mihi fecistis ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: ¹ (American Bishops' Foreign Relief Program).
² Nobis qui in America habitamus species huius mundi etiam nunc serena et bene constituta videtur. Non enim occupati sumus illis nunquam cessantibus tumultibus quibus tot populi oppressi sunt qui aut e patria sua tanquam profugi sunt depulsi aut in locis antea ditioni colonicae subiectis viam ad libertatem patefacere enituntur statumque firmam et quietam civitatis efficere. Quamvis nonnullae res, tanquam nimbi minaciores, a longe nobis immineant, populus americanus mirum in modum est liber illis perturbationibus, exiliis, fame, angustiis quas ego hos aliquot annos ubicumque terrarum perspexi. ³ Illum Lazarum apertissime vidi in mendico leproso qui ad mendicandum in plastro vehebatur per plateas urbis Calcuttae, cuius plateae aliquot decies centenis millibus scatent, quorum multi sunt profugi. Illum quoque vidi in quodam profugo qui a. 1961 continentem partem Sinae fugerat et comprehensus in castris vulgo dictis Fan Ling Transient Camp depositus est. Ad haec castra cum advenissem, millia miserorum illic vidi qui cum periculo vitae effugerant sed qui, postquam ad liberi mundi ianuas paucos dies sederant, in magna plaustra automotiva congregati sunt ut in interiorem Sinam reducerentur. Non enim erat eis locus in diversorio, i. e. in oppidis urbibusque societatis occidentalis. In pluribus et squalidissimis domibus pauperum quae circa urbes superbissimas Americae Latinae sicut fungi creverant, circa urbes Rio de Janeiro, Santiago, Lima, Bogotà, innumeros homines vidi ad portam humani conventus exspectantes ut occasio sibi daretur prospere vivendi; sed exspectabunt frustra. Ille Lazarus evangelicus sedebat ad ianuam « cupiens saturari de micis quae cadebant de mensa divitis ». Sed dives « qui induebatur purpura et bysso et epulabatur quotidie splendide », a Lazaro aversus nihil illi dabat. Lazarus pauper mortuus est et a ianua « ubi canes lingeabant ulcera eius » in pacem sinus Abrahae in caelum migravit. Dives autem cum mortuus esset migravit ad — esto, ad alium locum — et clamabat ut Lazarus, in locum tormentorum dimissus, guttulam aquae in ipsius linguam poneret. Sed evangelista narrat magnum chaos inter eos firmatum esse, magnam scil. distantiam quam dives inter se et Lazarum in terra munivisset, in aeternum permansurum esse. Cum nullum aliud peccatum diviti imputari intellegamus, praeter quod opera misericordiae in quantum poterat non faciebat, magna causa est cogitandi. Esurientes non implevit. ⁴ Omnes nunc volunt familias suas honeste esse victuras seque occasionem esse habituros ea merendi quibus se sustinere possint et etiam secundum humanae personae dignitatem vivant. Volunt fore ut liberi sui legere atque scribere doceantur, ut esurientes impleantur et aegrotantes curentur. Volunt fieri participes profectus magni hodierni atque aequam partem rerum habere quam homines nostri temporis producunt. Non fieri potest ut his iustis desideriis, simul ac liberantur, unquam resistatur. Omnes huius progredientis mundi populi ad meliora fortiter procedunt et nos, qui Ecclesiae catholicae ubicumque gentium praesunt, cum eis procedere debemus. In magnis encyclicis litteris *Mater et Magistra* quae felicitatis recordationis Ioannes XXIII paulo ante hoc Concilium conventum edidit, asseveravit: « In nos ad unum omnes cadere, quod populi tenuitate victus omnino vexentur » et iterum « iustitia et humanitas postulant ut



opulentiores illae civitates subsidio egentibus civitatibus adsint ». Hoc mihi persuasum est ut omnes plene intelligamus Ss.mum Patrem nostrum in his encyclicis litteris nihil minus facere conari quam praecepta Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi his nostris temporibus adaptare. Christus se esse lucem mundi dicit. Non solum verbis sed etiam vitae suae factis ostendit se terrenas etiam necessitates sibi curae esse, cum multitudinis famem compescendi causa non semel panem prodigialiter multiplicat. In omnibus hominibus, utpote creaturis Dei, insunt necessaria iura ad ea quibus se sustentare possint: ad satis cibi et vestitus, domum, operam fructuosam, idoneum otium, honestum levamen. Hoc Sanctissimus Pater nobis manifestum facere desiderat, ut si fratres nostri cuiusvis nationis talibus necessitatibus egeant, in nos pariter ac alios cadat culpa.

Exc.mus P. D. IOANNES VILLOT, *subsecretarius*: Communico Patribus exitum suffragationis XIII:

Suffragium tulerunt Patres	1.964
Dixerunt <i>placet</i>	1.950
<i>non placet</i>	14

9

Exc.mus P. D. GREGORIUS B. VARGHESE THANGALATHIL
Archiepiscopus Trivandrensis Syrorum Malankarensium

Venerabiles Patres,

Loquor etiam nomine plus quam 70 Patrum.

*De nationibus quae forsitan nondum intra sed in vestibulo mundi hodierni ad portam stant et pulsant, schema agit tantum per transennam.*¹ Iudicio expertorum in rebus oeconomicis, in hodiernis adiunctis ut quis vivat modo decenti, requirit redditum qui aequat quingenta dollaria per annum. Hodie autem redditus medius dimidiae partis hominum est circiter sexaginta dollaria per annum pro persona. Vere valde maior pars hominum obtinet multo minus.

Non est hic quaestio de constituendo paradisum terrestrem; de re morali agitur. Deus hominem constituit ex spiritu et materia. Ex divina ipsa ordinatione, sufficientia rerum materialium est conditio necessaria vitae humanae ut sit, et ut sit ordinata. S. Thomas docet quod usus earum est necessarius ad actum virtutis. Ceterum, hoc experientia patet. Res oeconomica sic vere habet aspectum moralem et spirituales. Illis, qui privantur copia eius minima, vita honesta omnino difficilis fit. A. v. illi vivunt in proximo periculo peccati et damni spiritualis *ut etiam dixit hodie relator.*² Cum occasio proxima peccati eo-



dem modo vitanda est ac ipsum peccatum, habemus hic tremendum immensumque problema morale. Coram hoc facto, vox Ecclesiae Matris non potest esse illa quam audimus in schemate. De egenioribus Alma Mater Ecclesia specialissimam curam habere oportet. Hucusque ratio iustitiae socialis in documentis Ecclesiae attendebatur praesertim in industria, et in specie inter opifices et eorum dominos. Hodie discrimen quod obtinet inter opifices et dominos evanescit coram eo, quod intercedit inter nationes agriculturales et industriales.

...³ In re oeconomica mundus *hodiernus*⁴ dividitur ratione agriculturae et industriae. Nationes minus evolutae vere identificantur cum eis quarum structura oeconomica est omnino ...⁵ et vice versa.

Paupertas et miseria de mundo eliminari nequeunt, nisi agricolae efficaciter adiuventur et eis iustitia praestatur, praesertim quando nationes iam evolutae hodie inter se uniuntur sicut in Mercatu Communi. Secus conditio nationum minus evolutarum in dies peior fiet et omnino intolerabilis.

Cum paterna sollicitudine locutus est, in Encyclica *Mater et Magistra*, Summus Pontifex Ioannes ...⁶ de gravi iactura sectoris agriculturae quoad efficientiam laboris et alia huiusmodi gravissima et vehementer vindicavit iustitiam pro agricolis quoad provisionem Capitorum et alia beneficia multa.

Remedium: Secundum sententiam peritorum, ut aliqua natio ulterius evolvatur saltem duodecim percentum suorum reddituum reservare debet per annum. (*Anglice: A nation cannot make progress unless it saves 12% at least of its income per year*⁷). Quomodo possunt nationes quarum redditus ad victum civium vix sufficiunt, efficaciter reservare nisi ab aliis adiuventur? Hodie autem etsi maior pars familiae humanae tantas inter miserias vivat, et sese adiuvere nequeat, nationes evolutae insimul ne unum quidem percentum suorum reddituum expendit in favorem omnium nationum evolventium.

Hoc mirum videtur praesertim ex eo quod: 1) Nationes evolutae, paucis exceptis, ceteras ut colonias aliquando habuerunt; 2) in primis stadiis suae evolutionis magno emolumento eis fuerunt coloniae; 3) etiam hodie nationes quamvis evolutae multis in modis ab aliis dependent.

E contra, bene notandum est quod in historia hominis nunc primum existunt media sufficientia ordinis tum intellectualis tum technici quae si ordinatim adhibeantur, vita omnis personae in mundo nunc existentis vere humanam dignamque reddere possit. Secundum aestimationem ab ONU factam, summa capitorum necessaria ad inchoandum progressum inter nationes non evolutas, est circiter 4 percentum reddituum nationum evolutarum. (*In english: If the undeveloped nations*



are to start any development at all, the developed nations must assign 4% of their income for this purpose).⁸ Num haec summa nimis est in se? Num infert injuriam oekonomiis evolutis?

Aliud magnum gravamen in mundo hodierno est quod multae nationes hodie opprimuntur per nimiam frequentiam incolarum (*Density of population*⁹). In quadam natione, *ut in mea regione*,¹⁰ populatio ruralis accedit ad plusquam octingenti per kilometrum quadratum, et aliunde superficies immensae remanent fere desolatae ut monopolia paucorum ratione coloris et stirpis. Ecclesiae est de necessitate iustae divisionis populorum unius familiae humanae per superficiem terrae clare indicere.

Stabilitis principiis doctrinalibus, debemus tandem aliquando agredi ipsa problemata actualia quae nos circumdant hic et nunc. Non potest Ecclesia ea sub specie aeternitatis praeterire vel rationibus speculativis offuscare. Neque nos deterrere debet immensitas laboris. Occurramus mundo cum omni fiducia « quia maior est qui in nobis est quam qui in mundo ». Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ Schema agit praesertim de societatibus iam evolutis, de aliis autem quae forsitan non intra sed in vestibulo mundi hodierni ad portam stant et pulsant, tantum per transennam. Quid est hodie problema inter omnia maxime urgens, si non illud famis et miseriae? Revera plus quam dimidia pars hominum hodie necessariis caret. ² deest. ³ Hodie. ⁴ deest. ⁵ ruralis. ⁶ XXIII. ⁷ deest. ⁸ deest. ⁹ deest. ¹⁰ deest.

[*Subscripserunt etiam*] P. Kerketta, arch. Ranchi; B. Mudartha, aux. Jhansi; L. D'Mello, ep. Ajmer et Jaipur; Thomas Fernando, ep. Tuticorin; Lurdu Selvanaden, ep. Salem; Eric Benjamin, ep. Darjeeling; F. da Veiga Coutinho, ep. Belgaum; D. Arulswami, ep. Kumbakonam; S. Vayalil, ep. Palai; Januarius, hierarcha ordinatus; S. Valloppilly, ep. Tellicherry; A. Yeddanapalli, ep. Bellary; R. A. Sundaram, ep. Tanjore; E. Pinto, ep. Ahmedabad; Leo Tigga, ep. Dumka; M. Arattukulam, ep. Alleppey; T. R. Agniswami, ep. Kottar; R. D'Mello, ep. Allahabad; J. J. Malenfant, praef. ap. Benares; G. Alapatt, ep. Trichur; Andrew D'Souza, ep. Poona; Albert D'Souza, arch. Calcutta; J. Ménager, év. Meaux; J. Attipetty, arch. Verapoly; O. Sévrin, ep. tit. Mossena; J. P. Léonard, arch. Madhurai; D. Athaide, arch. Agra; F. Fenech, ep. Jhansi; A. Fernandes, arch. tit. Neopatrasso; A. Mathias, ep. Chikmagalur; Ath. Polachirakal, ep. Tiruvalla; A. Patroni, ep. Calicut; J. Fernandes, arch. Delhi; A. Galbiati, ep. Jalpaiguri; St. Tigga, ep. Raigarh-Ambikapur; A. Padiyara, ep. Ootacamund; M. Fernandes, ep. Mysore; F. X. Muthappa, ep. Coimbatore; J. Mendonça, ep. Tiruchirapalli; J. Rosario, ep. Amravati; Ignatius M., ep. Guntur; J. Marcus Gopu, arch. Hyderabad; Ign. Gopu, coad. Visakhapatnam; J. Fernandez, ep. Quilon; D. S. Lourdasamy, aux. Bangalore; M. Kavukatt, ep. Changanacherry; J. Paracattil, arch. Ernakulam; G. J. Jacob, ep. tit. Eritro; B. Cristea, vis. Romeni; Ath. Hage, sup. gen. O.S.B.C.; Ath. Tutundji, arch. Alep; D. L. Capozzi, arch. Taiyuan;



G. Ramantoanina, arch. Fianarantsoa; A. Martinez, ep. Tsiroanomandidy; J. Rakotomalala, arch. Tananarive; F. Vollaro, ep. Ambatondrazaka; C. B. de Mello, ep. Palmas; L. Arroyo, vic. ap. Requena; J. Campuzano, praef. ap. Galapagos; Fr. Hall, ep. tit. Castra Nova; V. Billington, ep. Kampala; J. Ireland, praef. ap. Falkland Islands; D. Vendargon, ep. Kuala Lumpur; M. R. Anglim, prael. null. Coari; A. Yemmeru; J. Perniciaro, ep. tit. Arbano; J. Cordeiro, arch. Karachi; J. Kiwanuka, arch. Rubaga; Z. Dachtou, arch. Urmya et Salmas; J. O'Sullivan, arch. Kingston; Th. Minisci, abb. null. Grottaferrata.

Moderator: Proxima congregatio generalis erit crastina, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.